



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 2. Vtrum Charitas sit propriè virtus amicitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

qua Deum diligimus. Est certa, & vel de fide, vel ita proxima, vt contraria sit erronea, vt constat ex testimonij Scripturæ, Conciliorum, & Patrum adduci solitis contra Magistrum, qui in 1. dist. 17. dixit, charitatem non aliud esse, quam ipsummet Spiritum S. 1. Cor. 13. *Mantent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, & cæ.* Vbi charitas, dum annumeratur fidei & Spei, quas qualitates, seu habitus creatos esse nec ipse Magister negat, plane indicatur, & ipsa etiam creatum quid esse. Clarius testimonium est illud eiusd. Pauli Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Vbi satis aperte distinguit charitatem à Spiritu sancto tanquam aliquid infusum ab infundente. Post Concilium Araucanum can. 4. 6. & 25. celebre est illud Tridentini session. 6. capit. 7. *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & ipsi in hæres.* Accedunt Patres Augustin. lib. de Spiritu, & litera c. 23. Hieron. in cap. 5. epist. ad Gal. Ambros. lib. 10. Epistolarum 84. Gregor. lib. 1. Moralium cap. 28. Ratio denique est, quia cum actus charitatis à nobis elicantur, habere debent in nobis principium intrinsecum sibi accommodatum; illud autem est aliqua qualitas, & habitus in nobis inherens.

2. Dico secundo. Hic habitus est virtus supernaturalis voluntati infusa. Quæ omnia satis constant ex materia de gratia. Sed quæres, an in appetitu sentiendi sit aliquis habitus charitatis suo modo adiunctus illi, qui est in voluntate? Respondetur infusum non esse, quia appetitus sensitivus non potest efficere actus supernaturales, & præcipue erga Deum: tamè quado voluntas amat, vel delectatur in Deo, potest aliquo modo appetitus cooperari, saltem per actus naturales, quibus generari potest aliquis habitus: nam potest exercere actus amoris, vel gaudij circa Deum suo modo sensibilibiter apprehensum, iuxta illud Davidis, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum vivum*, teste D. Th. 1. 2. q. 30. art. 1. ad 1. & 3. p. q. art. 2. ad 1. & q. 85. art. 1.

3. Dico tertio. Charitas est virtus omnium, quæ homini in hac vita infunduntur, perfectissima. Est certa, & constat 1. ex Scriptura Matth. 22. vbi Christus loquens de præcepto charitatis, ait, *Hoc est primum, & maximum mandatum*, 1. Cor. 13. *Major autem horum est charitas*, ad Coloss. 3. *Super omnia charitatem habete quod est vinculum perfectionis.* Et idem Paulus 1. ad Cor. 13. loquens de charitate. *Adhuc inquit, excellenter viam vobis demonstro.* Constat 2. ex Patribus Aug. lib. 15. de Ciuit. c. 18. & serm. 1. in Psal. 113. Leonè Papa ser. de S. Laurentio. Ambros. epist. 74. Hier. in c. 5. ad Galat. & alijs passim loquentibus de excellentia charitatis inter cæteras virtutes ac diuina dona, & quidem si loquamur de moralibus omnibus, sine controversia excedit charitas, cum sit Theologica: quod si maxime præstat fortitudo ob martyrium, eius excellentia manat à charitate. Si vero comparatur cum virtutibus Theologicis, etiam idem constat, & primo de Spe, cum perfectiori modo tendat in obiectum, scil. in se, & propter se; Spes vero fundatur in amore concupiscentiæ: de fide etiam probatur omnis testimonij Scripturæ, & Patrum, quia charitas perfectiori modo attingit Deum, quæ fides: nam tendit in Deum prout in se est; fides vero prout in nobis est. Oppositum sentiunt Lutherani ob præclaros quosdam effectus, qui tribuuntur fidei in sacra Scriptura, & Patribus: sed hæc omnia tribuuntur fidei tanquam radici, & fundamento, vt patet ex Trident. sess. 6. c. 8. & ex dictis in materia de gratia.

4. Sed superest argumentum. Nam virtutes intellectus sunt perfectiores virtutibus voluntatis, cum intellectus sit perfectior. Vnde prudentia excellit inter virtutes morales; & lumen gloriæ est excellentius charitate: propterea quidam dicunt, si dem in substantia, & entitate præstare charitati, Suarez de Charitate.

charitatem vero excellere in esse moris; sicut docet D. Th. intellectuales virtutes acquiratas esse nobiliores in genere entis, quauis in genere moris, & virtutis excellent virtutes morales: sed errant. Et sane ratio sumptæ ex obiecto, manifestè id docet. Ad argumentum igitur respondeo virtutes intellectus ex genere suo esse nobiliores: non tamen in indiuiduo quilibet virtutis intellectus præstare euilibet virtuti voluntatis: sed solum hinc fit, supremam virtutem intellectus esse perfectiorem suprema virtute voluntatis; vt lumen gloriæ, charitate: nec sumi potest argumentum ex statu Patriæ ad statum viæ, quia cognitio Patriæ essentialiter est perfectior cognitio ne viæ: amores vero soli accidentaliter differunt, vt dicemus: & ideo non est etiam simile de prudentia præcipue naturali, quia est excellens, & perfectissima in suo genere, & est regula omnium virtutum moralium.

5. Sed quæres, An charitas non solum sit virtus, sed semper sit in statu virtutis? Respondetur ita esse. Ratio est, quia hæc virtus semper habet connexionem cum omnibus sui ordinis. Secundo semper amat Deum, & proximum. Tandem minima charitas semper facit bonum, & amicum, & seruat omnem præceptum. Quæres secundo, An charitas tribuat esse alijs virtutibus, ita vt sit forma illarum? Resp. 6. detur Theologicè ita loquendum esse, primo, quia charitas refert omnes actus virtutum in vltimum finem, qui in moralibus est quasi forma. Item valor, & meritum horum actuum pendet à charitate, quantum, & sic etiam gratia dici possit forma virtutum. Sed obijcies. Interdum aliæ virtutes referunt exteras in suum finem. Item religio, & penitentia sæpe imperant actum charitatis referendo ad finem. Respondetur, per accidens, & quasi ex operantis libertate posse interdum inferiorem virtutem informare superiorem, non simpliciter, sed quoad aliquem actum, & in ordine ad particularem finem. Charitas vero per se, natura sua habet istum modum informandi, & præterea relatio ad vltimum finem, quæ sumptæ est in genere virtutis ad illam solam spectat.

SECTIO II.

Vtrum charitas sit proprie virtus Amicitie.

Ratio dubitandi est, quia conditiones amicitie assignatæ ab Aristot. 8. & 9. Ethicor. non conueniunt in charitatem. Prima est communicatio mutua, at nos cū Deo communicare nequimus: licet ipse possit nobiscum. Secunda est æqualitas, qui enim multum dissimiles sunt in excellentia, non bene contrahunt amicitiam. Vnde concludit Aristot. in 8. Ethicor. cap. 7. inter nos, & Deum non esse amicitiam. Tertia est singularitas, at charitas omnia complectitur. Quarta est, vt mutui amor non lateat, latet autem nos an Deum charitate amemus, vel ab eo amemur.

2. Dico primo. Inter iustos, & Deum est simpliciter amicitia, vt constat ex multis testimonij Scripturæ, Iudit. 8. *Abraham Dei amicus effectus est*, & Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Cantic. 5. *Comedite amici.* Sapient. 7. *Participes facti sunt amicitia Dei.* Isaia 41. *Semen Abraham amici mei, quo respexit Iacobus in sua Canon. cap. 2. Abraham, inquit, amicus Dei appellatus est.* Lucæ 12. *Dico autem vobis amicum meum, & Ioannis 15. Iam non dico vos seruos, sed amicos.* Id est, quamuis natura sitis serui, gratia autem, quæ excellentior est, facti estis amici. Dices: etiam dicuntur iusti filij Dei, & templa Spiritus S. quæ non proprie, sed metaphorice exponuntur. Respondetur singula verba Scripturæ esse accipienda in ea proprietate, quæ patiuntur: sunt ergo iusti templa spiritualia, quia in eis Spiritus S. inhabitabat: sunt vero filij per adoptionem, amici per gratiam, & beneuolentiam

L1 mutuam

Quorundā solutio obferuanda.

Vera solutio

De luminis glorie perfectione maiori in lib. 6. de grat. c. 13. a. 6.

1. Dubium

2. Dub. vide lib. 1. de grat. c. 4. & 5.

Obiectio

Solutio

Conditiones amicitie quatuor, de hac humana amicitia infra lect. 6.

1. conclusio; pro qua vide lib. 7. de grat. c. 5. & in Relect. de libertate Dei disp. 2. lect. 2. n. 16.

Instantia

Respondet

Vide in 1. a. d. p. n. 4. 3. conclusio, de qua d. Th. 1. 2. q. 30. art. 1. ad 1. & 3. p. q. art. 2. ad 1.

Vide a. d. p. n. 4.

Vide

mutuam supernaturalem, quæ verè, & propriè inter Deum, & hominem intercedere potest: & hoc ad propriam amicitiam sufficit: vnde in Tridentin. sess. 8. cap. 1. iusti simpliciter vocantur amici.

Triples est
amicitia.

3. Sed ut hæc ratione confirmetur, nonnulla notanda sunt. Primum est, triplicem esse amicitiam, vtilem, in qua amicus amatur propter utilitatem amantis; delectabilem, propter voluptatem; honestam, in qua amicus per se, & propter honestatem amatur: & hæc sola est perfecta, & simpliciter amicitia, quia hæc sola coniungit per veram benevolentiam.

Perfecta amicitia
subdistinguitur.

Alterum est ex Aristotele supra capit. decimo, hoc posterius genus amicitie duplex esse, vnum est æqualitatis simpliciter, quod est inter omnino æquales, alterum est excellentiæ, quod est inter personas quidem habentes communicationem, & convenientiam ad vnum finem honestum, constitutas tamen in diversa dignitate, inter quas non servatur æqualitas simpliciter, sed proportionalis, quia vniquisq; tribuitur alteri id amoris, honoris, & officij, quod vnicuique pro conditione sua convenit.

Probatur conclusio
primo.

4. His positis probatur conclusio. Primò. Inter Deum, & nos intercedit mutua benevolentia, quod ex parte Dei constat: amat enim nos, ut beneficiat: neq; huic amicitie repugnat, quod velit Deus omnia nostra bona referri in gloriam suam; nam est etiam vltimus finis. Ex parte vero hominum supra ostensum est, quod possint Deum ex charitate diligere. Secundò hic mutuus amor satis constat, non quidem certa, & infallibili scientia, dum sumus in hac vita, sed probabili existimatione, quod in omni amicitia sufficit, id vero constat ex varijs Scripturæ testimonijs: nam *Deus diligentes se diligit*, vnde, quod Deum diligamus effectus est diuini amoris. Tertiò communicatio ad amicitiam necessaria, hic etiam non deficit: nam licet inter nudam naturam hominis, & diuinam non reperiatur, inuenitur tamen sufficienter inter homines per gratiam eleuatos ad diuinum ordinem, & Deum: sic enim sunt, *diuina confortes nature*, & accepti ad eundem ordinem beatitudinis, quæ communicatio facit æqualitatem, si non simpliciter, saltem excellentiæ. Alio modo potest intelligi illa communicatio pro mutua beneficiorum collatione, & hæc non est ratio amicitie, aliàs non esset honesta, sed utilis, est tamen effectus, qui ex illa oritur, *amicorum enim omnia sunt communia*: hoc autem non deesse ex parte Dei in hac diuina amicitia per se constat: homines autem, etsi non possint conferre beneficia in Deum, tamen quoad possunt, præbent honorem, & gloriam: & proximis benefaciunt. Quarto amicitia efficit vnum, & velut ponit vnā animam in duobus corporibus, *qui autem adhaerent Domino vnus spiritus est*: quare nihil obstat, quod ad multos se extendat, quia primario est ad vnum, in quo, & per quem ceteri diliguntur. Quinto licet vera amicitia non sit propter utilitatem, vel voluptatem, tamen hos fructus secum affert: primum propter communicationem: secundum propter vñionem, & in vtroque excedit hæc amicitia: vnde illud, *Delicia mea esse cum filiis hominum*. Tandem oportet, ut vera amicitia sit stabilis: hæc autem de se ita stabilis est, ut sit, perpetua: ex quibus omnibus sic, hanc amicitiam non solum esse propriam, sed omnium perfectissimam, quia licet in æqualitate aliquando deficiat, tamen in reliquis conditionibus, longè multumque superat.

2. conclusio
declarando
patet.

5. Dico secundo. Hæc amicitia inter nos, & Deum ex parte hominis est ipsa charitas, aduertendum est ex Aristotele supra, amicitiam perfici in mutuo amore: vnde si vnus amet, non vero redametur, est quidem benevolentia: non vero amicitia. Oportet etiam, ut hic mutuus amor non lateat: nam si ignoretur, esto sit concursus amorum, erit tamè per accidens: at vero amor amicitie

postulat, ut sit alterius, tanquam redamantis: tam igitur si amicitia inter nos, & Deum significat eorum integrum vinculum, sic est quasi collectiuium nomen, charitatem Dei, & nostram comprehendens; si tamen significat id, quod ex parte nostra nos præstat in hac amicitia, illud est charitas, quia ut Aristoteles dixit libro octauo Ethicorum capite octauo: *Amicitia magis est amari, quam amare*, charitate verò amamus. Ex quo intelligitur hoc conuenire charitati per se; neque requirere longam consuetudinem: vnde etiam in paruulo habet eandem rationem: quod si non possit in actum prodire, oritur ex disputatione subiecti. Argumenta soluta sunt ex dictis.

SECTIO III.

Virum Charitas sit vna, & eadem in via, & in Patria?

Dico primo, eundem habitum charitatis, & speciem, & numero, qui habetur in via, conservari in Patria. Et communis Theologorum, & videtur expressa sententia Pauli primæ ad Corint. decimotertio, *Charitas nunquam excidit*, quod intelligendum necessario est de eadem charitate, & specie, & numero: alioqui etiam cognitio, & scientia non exciderent. Sed quæres. An idem sit in actibus amoris? Nonnulli Theologi id negant, ut Scotus in tertio distinctione trigesima prima, quæstione vnica, Lycherus ibidem, Capreolus in primo, distinctione prima, quæstione tertia, ad tertium Adami, contra quartam conclusionem, Caietanus prima part. quæstione 82. articulo secundo. Contendunt enim Deum clare visum, & obsecrè, diuersas inducere rationes formales diligibilis obiecti. Primo, quia diuersa cognitio Dei, naturalis, vel supernaturalis, intellectualis, vel imaginaria parit actus amoris diuersos. Secundo in proposito possunt assignari diuersa obiecta formalia: Nam licet in patria vno actu videatur Deus, & tota eius perfectio, ita ad quare vno actu amatur propter omnem rationem, qua amabilis est, licet non totaliter ametur, at in via, quia non concipitur Deus vno actu nisi sub ratione vnius, vel alterius attributi per singulos actus quæ ali in ad quare amatur. Tercio amor Patriæ est necessarius: viæ autem liber. Quarto hi duo amores fuerunt simul in anima Christi: ergo distincti in specie.

2. Dico secundo. Charitas viæ, & Patriæ vna est non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum. Est communis Theologorum cum Magistro in tertio distinctione trigesima prima, & D. Thom. prima secundæ, quæstione sexagesima septima, articulo sexto, & fauent loca sacre scripturæ, & Patrum, qui dicunt charitatem eandem manere in via, & in Patria: nam potius de actibus, quam de habitibus loquuntur, atq; ita etiam accipiendus est Paulus citatus. Ratio est, quia amor, ut sic, nullam imperfectionem essentiali dicit: ergo tantum differt in accidentali perfectione, quod ita explicatur. Nam ratio formalis obiecti in via, & in Patria est eadem, nempe diuina bonitas supernaturalis: differunt vero hi amores in cognitione talis obiecti: ergo solum in conditione sine qua non, & applicatione obiecti amabilis. Nec est simile de amore sensitivo, vel naturali, quia illius differentia ab amore spirituali, vel supernaturali non sumitur tantum ex cognitione, sed ex formali obiecto diuerso, quia semper diuersa ratio boni per has cognitiones applicatur: ut in prima secundæ ostensum est, & in tractatu de Anima agendo de distinctione potentiarum per obiecta. Deinde absentia, vel præsentia obiecti amabilis nihil refert ad amorem, quia ut ex prima secundæ constat, Amor abstrahit à præsentia, & absentia, & tendit in obiectum secundum